



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Bibvrg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

Ad quam protestationem R<sup>mus</sup>. D. Administrator *Ratisponensis*. vti hesternae die cum hæc ipsa protestatio fieret priuatim, priuatim, sic etiam hodierna cum fieret publicè respondit R<sup>mam</sup>. D. suam sibi nullo modo persuadere posse, vel sanctissimi D. nostri vel Seren<sup>mi</sup>. & R<sup>mi</sup>. Domini Coadiutoris mentem seu intentum fuisse aut etiam nunc esse dictæ postulationi quouis modo derogare vel contravenire. Quib. sic præuis Breue apostolicum cum dictis duobus Instrumentis per me Notarium publicum, publice & in testium infra scriptorum præsentia prælectum idemq; per R<sup>mum</sup>. Dñ. Administratorem *Ratisbonensem* pro solemniter publicato habitum & declaratum est ac proinde pro omnimoda executione sibi auctoritate Apostolica commissa Ser<sup>mi</sup>. & R<sup>mi</sup>. Domini Coadiutoris loco & nomine Ser<sup>is</sup>. suæ legitimo constituto procuratori D. Doctore Georgio Lautherio, eam quæ coadiutori de iure dari potest ac debet, possessionem dedit assignando eidem Domino Procuratori pro more stallum in choro & locum in capitulo suo tempore per Dominum Principalem obtinendos subiunxitq; quæ expressissimis & germanicis verbis à sanctissimo Domino nostro & sedè apostolica Ser<sup>mum</sup>. & R<sup>mum</sup> vtriusq; *Bavaria* Principem *Ferdinandum* moderno R<sup>mo</sup>. D. Præposito ac capitulo *Berdersgaden* in certum & irrevocabilem Coadiutorem constitutum & deputatum Ser<sup>mam</sup>. & R<sup>mam</sup>. Cels. suam quocumq; & quomodocumq; præpositura *Berdersgaden* vacaverit verum & legitimum præpositum esse eidemq; per Canonicos capitulum representantes obedientiam debere, nec non oēs & singulos etiam cuiuscumq; dignitatis & præeminentiæ officiales, aliosq; ministros & subditos, quoscunque vti in moderno R<sup>mo</sup>. Domino præposito obligati & devincti sunt, sic etiam vacationis tempore Ser<sup>mo</sup>. & R<sup>mo</sup>. Domino coadiutori obligatos & devinctos fore, recipiens insuper à Canonicis modo capitulum representantibus, potioribusq; officialibus, puta Prætorè, Præfecto aule, Cancellario & scriba iudicij stipulatis manibus, datam fidem quod quando & quomodocumq; Præpositura *Berdersgaden* vacaverit Ser<sup>m</sup>. & R<sup>mum</sup>, coadiutorem pro verò Præposito & Dño agnoscere, eidemq; debitam obedientiam præstare ac alias fideles esse velint. Acta sunt hæc anno, indictione, mense, die, Pontificatu, loco & hora quibus supra, præsentibus ibidem discretis viris Georgio Widmann senatore M, Andrea Schinnagl Archigrammato, & Ioanne Halfreitter scriba iudicij in Reichenhall, testibus ad præmissos actus ac protestationes & requisitiones omnes & singulos per R<sup>mos</sup>. & Reverendos Dominum Administratorem *Ratisbonensem* Dominum Præpositum & Canonicos *Berdersgaden* Capitulum representantes, nec non Ser<sup>mi</sup>. & R<sup>mi</sup>. Domini Coadiutoris *Berdersgaden* procuratorem singulariter & specialiter factos, singulariter & specialiter vocatis requisitis & rogatis.

Et ego *David Clostermair* I. V. Licentiatus, sacris Pontificia & Imperiali auctoritatibus, Notarius publicus, nec non apud ducale regimen Monachij advocatus, quia supradictis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præfens interfui, eaque sic fieri vidi, ac in notam meam sumpsi; ideo hoc præfens publicum instrumentum exinde confeci, manuq; alterius scriptum subscripsi, & in hanc publicam formam redegi, meoque solito notariatus signo communiui; in fidem & testimonium præmissorum omnium vocatus & requisitus.

*David Clostermair* I. V. L.

manu propria.

B I B V R G.

ANNO à nato Christo 1124. Vlric<sup>o</sup> & Gebhard<sup>o</sup>, maiores natu fratres Germani,

R 4

filij

filij Heinrici de Biburg & Berthæ ex Ystria, patriam diuiferunt hæreditatem. Vlricus & Gebhardus fortiti sunt Hilpoldstain. Conradus autem Erbo atque Bertha Biburg, Alij duo fratres horum Eberhardus & Meginwardus sacris initiati erant: Ille Canonicus Bambergensis, ac deinde Monachus Prufelingensis, Hic veteris Capellæ Ratisponensis Præpositus: quatuor alij filij, Otto, Magnus, Albertus, Hazilo, ante obitum parentum ex hac vita migrarant. Nam Henricus ille Superior vndecim liberos ex Bertha sua coniuge progenit decem marces, & vnam scemellam Bertham.

PROXIMO deinceps anno, nimirum 1125. Cunradus Erbo, Bertha, consilio & auxilio sancti Ottonis, Episcopi Bambergensis, de suo patrimonio Benedictinis viris & sceminis Cœnobium, Item pauperibus atque egenis Xenodochium ædificare cœperunt, & octauo anno compleuerunt, hoc est, Anno 1133.

QVO etiam anno, in die Simonis & Iudæ, D. Otto, Bambergensis Episcopus, & Henricus Comes de Wolfratshausen, cognatus Berthæ vxoris, Henrici superioris Pontifex Ratisbonensis, templū Biburgeñ. consecrarunt, Eberhardus, Monach<sup>9</sup> Prufelingensis, eo tempore frater fundatorū fit Abbas, frater eius Vlricus de Stain, Aduocatus, qui cum vxore Halica & filio Burckhardo villā Perchachdono dedit Monasterio. Innocentius secundus, Pont. Max. comprobauit hanc foundationem, & diplomate confirmauit.

D. EBERHARDVS, primus Abbas, Canonicus Bambergensis, deinde Monachus ibidem apud S. Michaelē, à D. Ottone, Episcopo Bambergense, translatus in Prufeling, ibi mansit vsque ad consecrationem Monasterij à fratribus suis conditi, cui ipse præfuit annis 13. Deinde Cunrado I. Archiepiscopo Salisburgensi, de Abensperg oriundo, cognato ac vicino suo in Episcopatu successit, electus Anno 1147. Præfuit ibi annis 17. Obiit Anno 1164. sepultus in maiori Ecclesia, vbi adhuc religiose colitur.

HÆC ita referuntur, prout sunt annotata in Cœnobio Biburgensi, quamquam aliter quodammodo in veteri foundationis libro reperiantur, & ipse liber foundationis sibi non consentit ex omni parte.

AVENT, item in Chronico, lib. 6. fol. 623. Item in sua translatione & epitome foundationis huius monasterij, sibi ipsi contrarius est, in eo quod ponit, Henricum & Bertham, fundatores, cum tamen fuerint fundatorum parentes. Ponit etiam Grimoldum tanquam fratrem fundatorum & vnā fundatorem, cuius in Biburgensi Cœnobio nulla fit mentio, sed solum Grimoldi Burckhardi superioris de Stain filij, hæc annotatio Monasterij magis verisimilis est, ac Biburgensi Genealogiæ conueniens. In hoc præterea liber foundationis à superioribus discrepat, quod dicit Ottonem Bambergensem Episcopum contulisse ad ædificationem huius Monasterij 516. libras, structuram annis sex absolutā, Ottonem anno 7. obiisse, eidem Engelbertum successisse, cuius regiminis anno secundo, Ecclesia per Henricum Episcopum Ratisponensem, ad instantiam Eberhardi, Archiepiscopi Salisburgensis, tunc adhuc Abbatis Biburgensis fit consecrata, Anno 1133.

COADIUTORES huius foundationis fuerunt propinqui & amici fundatorum, qui se ipsos & bona sua eidē Ecclesiæ dicauerunt, nempe Ludolphus de Grietzpach, qui dedit totam illam villam Grietzpach, Burckardus de Panzingen, Ravevvinus de Wichs, aliàs de Weichs. &c. Eberhardus Episcopus Bambergensis (quem Bruschius in Catalogo Episcoporum dicit fuisse Ducem Bauariæ. &c. quod alibi legisse non recordor, & obiisse Anno 1172.) dedit fratris sui Reginoldi bona Machtfridesdarff. Supra dicta villa Grietzpach ad Barrium amnem sita, data est in permutationem Domino Wiguleo de Weichs equiti, pro duabus partibus

tibus Hoffmarchiæ in Leutenpach, vnâ cum duabus curiis in Nozenhausen, Anno 1468. postea Abbates Biburgenses totam illam villam Nozenhausen, ab eo sunt adepti.

GEHARDVS Comes de Hintenburch, qui fuit frater fundatorû, dedit Capellâ Adlungstorff, quæ aliâs ad Parochiam Gecking spectabat, Monasterio in Biburg, dotis nomine. Confirmat hanc donationem Henricus Epus, ipso die consecrationis illius Monasterij, Anno 1133. Testes. ipse Gebhardus pater, Vlricus & Burhardus de Lapide, filij eius, Comitissa de Hohenburg quædam mancipia, sui iuris per manum Ottonis, filij Vdalrici de Lapide, tradidit huic Monasterio; ea conditione, vt omnes, qui sunt virilis sexus ab 15. annis, soluerent annuatim 10. denarios, fœminæ ab 12. annis. 5. denarios, ad procuranda luminaria in eodẽ Monasterio. Quod si verò aliqui debitum censum sua culpa ad annum tertium distulerint, vt quotidianæ seruituti subicerentur: Testes huius rei per aures tracti Vdalricus de Lapide, & fratres eius Conradus, & alij, ex libro foundationis, fol. 6. Domina Irmegardis de Hohenburch delegauit quendam virum Geroldum, per manum Grimoldi de Lapide: Testes, præd. Grimoldus, Vlricus, Henricus, Albero de Ronseran, Vdalricus de Lengingries, Vdascalus de Habevvav, Henricus de Esting, &c. deest annus in lib. fundat. seu traditionum; ex nominibus testium puõo hanc fuisse, de Hohenburg ad Ysaram, &c.

LVIPOLDVS Dux Austriae fatetur, quod, cû post obitum cognati sui Henrici, Ratisbonensis Burggrau, beneficium, quod ille à Bambergensi Ecclesia habuerat, plenariè obtinuerit, in quo etiam Aduocatiâ bonorum Biburgensis Cœnobij in Tangrintl, quam sine vllo emolumento solummodo pro remedio animæ suæ, Parentum & prædicti Henrici possidere velit: Proinde decimationes inibi de redditibus eorum, & quicquid reliquum iuris in bonis ipsorum habuit, vnâ cum quodam nemore prædicto Monasterio donauit. Actum apud Ens, Anno 1185.

NANZO Abbas litigauit cum Conrado, Comite de Frontenhausen, pro iure patronatus in Sandolzhausen, & vicit circa Annum 1220.

MONASTERIUM combustum est, Anno 1228.

DEFICIENTE linea Dominorum primorum de Hiltpoldstain, Aduocatiâ huius Ecclesiæ, circa Annum 1250. ad Duces Bauariæ peruenit, nempe ad Ludouicum, patrem Ludouici Imperatoris, quem Abbas & Conuentus vigore priuilegij Friderici primi Imperatoris, ipsis Anno 1167. concessi, libere elegerunt. Quapropter Ludouicus Dux illis multa priuilegia dedit, vt in libro foundationis apparet, de Anno 1260. alterum 1273. Selingstadij.

SVB Henrico IV. Abbate, aliâs sub Isenrico, tempore Friderici primi Imper. & Henrici Ducis Banariæ & Saxoniar, Monasterium ad summam inopiam redactum est, propter sumptus, quos dare coactum est Leoni Episcopo Ratisbonensi, ad Consilium Gregorij Papæ X. Item propter decimas omnium rerum ad expeditionem Hierosolymitanam exactas. Obiit iste Abbas Anno 1278. Eodem anno combustum est Monasterium Monialium & domus Cameræ.

OTTO Cholner Abbas obiit Anno 1335.

HENRICVS Cysseter Abbas, obiit Anno 1371. Hic lapidem magnum posuit super ossa Abbatum extra templum, vbi 24. Abbates sepulti dicuntur.

HAYDENRICVS Startzhauser benè & sapienter præfuit, ob lepram amouetur. Obiit Anno 1407. monumentum extat.

FRIDERICVS Startzhauser, primus Abbas infulatus, obiit Anno 1474.

WOLFGANGVS Peffenhauser, Abbas, obiit. 1507.

IN TEMPO ibi est sepulchrum exaltatum, cum hac inscriptione: Anno Domini 1151. obiit S. Bertha, fundatrix huius loci.  
NOBILES in hoc Monasterio sepulti.

PEFFENHAUSER } Vricus Peffenhauser obiit Anno 1260.  
                          } Stephanus Peffenhauser obiit Anno 1400.

CONRADVS Eystetter, miles, obiit Anno 1363.

ITEM Liberi de } Aykoltinger,  
                          } Leutenbecken,  
                          } Hiltpoldstein,  
                          } Startzhauser &  
                          } Leublstoiffer.

### ADDITIONES.

Ex libr. Fñ-  
dat. M. S.  
Monaste-  
rij Bibeur-  
gen.

GVm iucunda sit preteritorum cognitio, plurimum etiam soleat prodesse, tam in rebus publicis quam priuatis: ideo breuiter & summatim annotare libet litteris, quaerter vel à quibus Cœnobium Dei genitricis *Maria* in *Biburg* fuerit institutum, vel quæ eidem bona à fidelib. sint collata. Erant duo fratres, *CHVNRADVS* & *ARBO*, cum sorore *PERTHA*, quibus locus ipse vbi nunc fundata est cella, in hæreditatem diuisa peruenerat, ibique habebant residentiam corporalem. Hi ergò quamuis illis tum pro ætate, tum pro conditione fati arrideret mundus: erant enim secundum sæculum ex ingenuis & liberis parentibus; Spiritu Dei tamen adacti, se ipsos, locum ipsum, cum omni adiacenti terra & prædijs diuinis decreuerunt obsequijs mancipare. Conuocatis igitur parentibus & amicis, *Ludolpho* de *Griespach*, *Burchardo*, de *Panzingen*, *Radvino* de *VVeichs*, bona deliberatione præhabita, requiritur locus institutioni regulari conueniens, & vbi nunc cernitur designatur. Adsciscunt ergo Cooperatorem sibi Venerabilem *Ottone* *Bambergensis* Episcopum, & fundatorem loci constituunt, se & sua omnia cedentes eidem, ea videlicet conditione, vt constructo Monasterio cum officinis congregationi Monachorum Deo ibidem seruientium competentibus, electio Abbatis loci ipsius ab omni esset coactione extranea, Electus tamen vestiretur ab Episcopo *Babenbergensi*, essetque in Abbatis & fratrum potestate, eligere sibi Aduocatum quem vellent, vnoque decedente nullum hæredem illius in iure hæreditario succedere, nisi ex Abbatis & fratrum beneplacito. Sex igitur annis construitur & consummatur Monasterium cum reliquis officinis, & condunatis fratribus Deo ibidem seruientibus, Abbas primus eis præficitur filius prædictæ *Perthe*, vir religiosissimus *EBERHARDVS*, postea *Salisburgensis* Archiepiscopus. Qui videlicet Abbas cum fratribus de communi consilio *Vvicum* de *Lapide* auunculum prædicti Abbatis primum sibi eligunt Aduocatum. Septimo igitur anno D. *Otto* Episcopus *Babenbergensis* moritur in Domino, & *ENGILBERTVS* succedit eidem, cuius anno secundo dedicatur monasterium in honore Dei genitricis *Mariæ* ab *Hainrico* *Ratisbonen.* Episcopo, anno Domini. MC. tricesimo tertio in festo *Simonis & Iudæ*. Ipsa igitur die renouata est prænominatorum prædiorum, traditio per manum *Vvici* Aduocati, videlicet locus ipse cum adiacenti terra, agris, vineis, aquis, aquarumue decursibus, siluis, pratis, pascuis, locis cultis & incultis, cum omni iure quo ipsi nobiliter in pace possederant. Iurisdictionem quoque iudicandi (exceptis tribus casibus) de possessionibus seu hominibus eidem Monasterio adia-

adiacentibus & adinentibus, videlicet *Alungstorff, Raperstorff, Oezenpach, Tüvenpach, Machterstorff, Perchach, Pichach, Hörpach.*

Omnia tollit ætas, & cuncta tollit obliuio; literæ solæ suffragantur memoriæ, & præterita reddunt oculis, quasi sint præsentia. Vnde cum jocunda sit præteritorum cognitio, plurimum etiam solet prodesse tam in priuatis quam rebus publicis; reportat enim gratiam etiam mortuis, ad exempla bonorum inuitat, prauorum cupiditates mitigat, dirimit licēs, derogat auaritiæ, veritati non parum adstipulatur. Huius rei gratia per moti, qualiter vel à quibus Cœnobium B. Dei genitricis *Mariæ Biburch* institutum sit, vel quæ nostris temporibus à fidelibus Christi fratribus ibidem Domino seruientibus collata sint, breuiter & summam annotare curauimus, propter hoc maxime; quia bona aliarum Ecclesiarum distrabi & alienari plerunque videmus, ob hoc videlicet, quia nulla existant documenta, quibus eisdem Ecclesiis collata demonstrantur: simul etiam vthoc breuiarium memoriæ futurorum reportet \* fidelium defunctorum, & à quibus ipsi deuotionem per bona temporalia perceperunt, vicissitudinem spiritualis obsequij non grauarentur illis rependere. Primùm ergò non ociosè repetimus, quia locus ipse, illa videlicet congeries, vt putatur, in qua nunc tota cella fundata cernitur, tribus hæredibus diuisa prouenerat. Pars illa in qua Capella B. *Stephani* sita est, iuri subiacebat *Frisingensis* Ecclesiæ: Pars altera contra occidentem attingens piscinam superiorem, cuiusdam famina nobilis erat *Willibirch* dictæ. Porro pars illa in qua Monasterium constructum est, *Henrici* cuiusdam viri nobilis, & vxoris suæ religiosæ, vt putabatur famina, quæ etiam *Bertha* dicebatur ditioni subiacebat. His ergò commodum visum est, vt partem illam, in qua fundata fuit Ecclesia B. *Stephani* commutatione legitima suæ parti copularent. Etcum iuuaret eos tempus, vtpote qui beneuolum habebant Dominum *Henricum* tunc temporis *Frisingensis* Ecclesiæ Pontificem, & *Ellenhardum* eiusdem Ecclesiæ Præpositum fratrem *Berthæ* prædictæ: Cum ergò iuuaret eos tempus & opportunità, dederunt partem prædij sui, vnam *Hubam* iuxta riuiulum qui dicitur *Phetrach*, & Ecclesiam vnam in fundo suo sitam, in villa quæ dicitur *Berge*, iuxta *Isaram* fluiuum cum decimatione vna, qua iuxta consuetudinem temporis illius, juris eorum videbatur. Hæc inquam, dederunt *Frisingensi* Ecclesiæ, recepta parte tertia totius illius montis, in quo nunc Cella consistit, cum omnibus suis pertinentiis, & decimatione vnius Curtis adjacentis, quæ dicitur *Waltungesbrucha*, à manu *Otonis* Comitis de *Schiren*, qui tunc erat aduocatus Ecclesiæ *Frisingensis*, duodecim etiam Ministerialibus præfatæ Ecclesiæ, sub attestatione iurijurandi firmantibus legitimam & sufficientem, & Ecclesiæ suæ vtilem esse commutationem. Dein procedente tempore complacuit possessoribus & hæredibus partis tertiæ, *Tymoni* scilicet & *Villibirge* non, vt credimus, sine nutu Dei, compellente eos penuria rei familiaris, vt & ipsi accepto duodecim librarum argenti pretio consentientibus & adstipulantibus liberis suis, quod sui juris erat in manus transfunderent prædictorum. Sic olim Deus per David futuræ domus suæ, quæ per Salomonem fabricanda fuit, prouidit & ordinauit expensa. Ita nunc quoque per fideles suos præstruit viam, & opportunitatem præparat, vt quando vult, & vbi vult, opera magnificentia suæ, in quibus & per quos vult declaret. Commanentibus ergò prædictis fidelibus, nati sunt eis vndecim filij, & pater quidem intendebat animum, & pro viribus agebat, ne suis apud sæculares inferior haberetur, & non inferiores se relinquere hæredes. Mater verò interim iudicis placere

Ex ead.  
M. S.

\*beneficia

placere studebat conspectibus, & diuitiarum suarum solum Dominum exorabat hæredem. Itaque sex filiis naturæ concedentibus, & ambobus parentibus è medio sublatis, quinque superstibus diuiditur hæreditas, & duobus quidem iunioribus cessit in hereditatem locus prædictus, quorum alter *Chunradus*, alter *Arbo* dicebatur. Quid ergo? Infra vnus anni circulum, quamuis illis pro ætate, pro conditione satis arrideret mundus: erant enim secundum sæculum, parentibus non infimis: Spiritu tamen Dei tacti, tam locum in quo nunc cella constructa est, quam cetera sua prædia diuinis mancipare decreuerunt obsequiis. Quorum exemplo quidam ipsorum propinqui vehementer accensi, non solum sua, verum etiam se ipsos Domino deuouerunt, quorum nomina fuerunt *Ludolphus de Griespach*, *Burchardus de Panzingen*, *Rabevvinus de Wichse*. Habita itaq; cum paucis arbitris deliberatione, hoc in eorum omnium sedit arbitrio, vt patrimonii suis in vnum, aliquem locum collatis in honorem. Beatis. Dei genitricis *Mariae*, & SS. *Apostolorum* congregationem Monachorum, si Dei voluntas fuisset, instituerent. Requiritur locus institutioni conueniens, & sine contentione concurrentibus omnium votis ibi designatur, vbi nunc cernitur. Sed quia ad perficiendum propositum suum, ipsi minus sibi videbantur sufficere, cooperatorem sibi adificunt Venerabilem *Ottonem Bambergensem* Episcopum, imò fundatorem loci constituunt, cuius tota intentio in construendis Monasteriis, & sustentandis pauperibus versabatur: quoq; promptior esset eius animus, neue in alieno seminare videretur, locum prædictum cum omnibus eidem collatis ad altare B. *Petri* in S. *Babenbergensi* Ecclesia per manum *ER BONIS* prædicti delegari fecerunt. Ea videlicet conditione, vt electio Abbatis loci illius ab omni esset coactione extranea. Electus tamen Abbas ab Episcopo inuestiretur, neque inferior haberetur locus ipse cæteris Monasteriis, quæ à prima institutione Episcopatus ibi collata noscuntur. essetque in Abbatis & fratrum potestate, eligere Aduocatum quem sibi voluissent, vnoque decedente, nullum hæredum illius iure hæreditario succedere, nisi ex Abbatis & fratrum beneplacito. Itaque bonæ & sanctæ memoriæ Venerabilis Episcopus, quæ tunc in præsentiarum cum prædicto loco susceperat, designari fecit in chartula, quorū nomina subscripta sunt: villam totam quæ dicitur *Griespach*: quatuor Mansos *Morenhouen*: duas curtes *Bolz.enhusen*, iuxta castrum *Brixienfis* Episcopi quod dicitur *Seuena*: mediam partem quæ dicitur *Gubdum*, quæ soluit quinque Carradas vini. Curtem vnam *Rappertesdorff*. Curtem vnam *Linten* Curtem vnam *Sikelingē*. *Hersegingen* vnam. decem mansos in villa quæ dicitur *Puch*. *Pichenpach* curtem vnam. *Eicha* vnam. *Haezechouen* vnam. *Rantpolteshouen* vnam. *Puchouen* vnam. *Vmelstorff* vnam. *Mechtrisdorff* vnam. Molendinum vnum *Hegenvvang*. *Rappertorff* vnum. *Lebesingen* vnam curtem. Dedit ergo prædictus Episcopus expensas ad ædificandum Monasterium, quingenta & sedecim talenta: & ad stipendia fratrum septem mansos noualium in *Tagrintele*, & beneficium cuiusdam ministerialis sui, in villa quæ dicitur *Tisbach* propè fluuium *Isaram*, & sex annis consummauit monasterium, ipseque septimo anno plenus dierum bonorum defunctus est: cui successit *Egilbertus* Episcopus, & ipsius anno secundo dedicatum est Monasterium ab *Henrico Ratisponensi* Episcopo, in natalitio Apostolorum *Simonis & Iudæ*. In dedicatione ergo Monasterij renouata est prænominatorum prædiorum traditio per manum *Vdalrici* aduocati, qui etiam superaddidit quandam villam suæ proprietatis *Perchach* dictam, consentiente & rogante vxore sua *Helica* & filio suo *Purchardo*, quatuor videlicet curtes, & duas vineas. Vineam vnam & curtem vnam ad hospitale pauperum, tres reliquas cum pomerio, & area sua, & vinea, & omnibus suis pertinentiis, duas curtes *Mirenberch*  
cum

eum Molendino vno. Quam Ecclesiam cum cura & decimatione, & omni iure suo. B. memoriæ Episcopus *Henricus* & *Hartvvicus Chunrado* Abbati, & omnibus suis successoribus in perpetuum concesserunt, &c.

INNOCENTIVS seruus seruorum Dei, dilecto filio *Eberhardo* Abbati sanctæ Mariæ *Biburgensi*, eiusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. In sede iustitiæ disponente Domino constituti, Ecclesiarum quieti & vtilitati salubriter providere nos conuenit: vt quemadmodum per Dei gratiam Patres vocamur in nomine, ita nihilominus comprobemur in opere. Cuius rei gratia dilecte in Domino fili *Eberharde*, tuis fratrumq; tuorum iustis desiderijs auentes, Ecclesiam beatæ Dei Genitricis & Virginis *Mariæ Biburgensis*, in qua diuinis estis obsequiis mæcipati, sub Beati *Petri* tutela & nostra defensione suscipimus, & Apostolicæ sedis Priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt religio, quæ secundum Beati *Benedicti* regulam per studium atque industriam *Ottonis Bambergensis* Episcopi instituta esse cognoscitur in vestra Ecclesia, perpetuis futuris temporibus ibidem firmiter obseruetur. Quasq; præterea possessiones, quæcunq; bona idem locus in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futuro concessione Pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, videlicet: *Griexpach*, *Mozeinhouen*, *Pucha*, *Percha*, *Gubedû*, *Lobefingen*, in *Tangrintil* septem mansos de noualibus, & Ecclesiam super monte *Adallungestorf*. Adijcientes insuper statuimus, vt de fundo vestri Monasterij, siue de noualibus vel alijs laboribus, quos proprijs manibus sumptibusue colligitis, nullus à vobis decimas exigere audeat.

Nulli etiam Episcopo licentia pateat, angarias vel alias nouas exactiones monasticæ quieti & religioni contrarias vobis vel Ecclesiæ vestræ imponere. Porro sepulturam ipsius loci liberam esse censemus, vt eorum qui se illic sepeliri deliberauerint, deuotioni & extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres aut fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem & B. *Benedicti* regulam præuiderint eligendum. Liceat etiam vobis & Ecclesiæ vestræ aduocatum eligere, atque ad peragendas vtilitates ipsius loci libere ipsum habere. Nulli ergò omnino hominum fas sit vos vel Ecclesiam vestram super hac nostra constitutione temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerarijs vexationibus fatigare, sed omnia integrè conseruentur, eorum pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Si qua igitur in posterum Ecclesiastica sæcularisue persona huius nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen Amen. Datum *Latevani* per manum *Almerici* S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij VII. Idus Ianuarij, indictione II. Incarnationis Dominicæ anno



millesimo centesimo tricesimo nono, Pontificatus verò Domini Innocentij secundi Papæ Anno nono.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs *Henrico* Abbati *S. Mariæ* Monasterij *Biburgensis* eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolico nos conuenit adesse præsidio, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito reuocet, aut robur, quod absit, religionis sacræ infringat. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub *B. Petri* & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio cõmunimus. Statuentes quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum iustè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentijs suis, terris, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, decimis de terris vestris cultis & incolendis, acquisitis & acquirendis, quas *Richerus Brixinensis* Episcopus, & bonæ memoriæ *Hartmannus* & *Henricus* quondam *Brixinenses* Episcopi ex Episcopatu suo Monasterio vestro pia prouidentia condonarunt, cum clauæ Ecclesiæ *Phane*: liberum etiam transitum in angustijs montium per claufuras apud *Seners* & *Babionem*, sine omni exactionum grauamine: prædium *Machtfridestorf*, prædium *Hirelpach*, prædium *Oestepach*, prædium *Direnpuh*, prædium *Rappolestorf*, prædium *Adelhartesgadin*, prædium *Lintkirchen*, apud *Pottenhausen* duas curtes, apud *Tegernpach* curtes, & vineas, *Perge* apud *Isaram*, redditus *Salis Halle*, curtes apud *Wuhse*, cum Ecclesiâ, prædium *Puch*, prædium *Aichkirchen*, cum Ecclesiâ & alijs appendicijs suis, curtem *Pickenbach*, curtem *Aichbach*, prædium *Lindin*, curtem *Siklingen*, prædium *Ernsingen*, prædium *Lobsingen*, prædium *Tollingen*, prædium *Marova*, *Mernberch*, *Eiirshofen*, curtes duas *Mozenhofen*, *Griespach* cum Ecclesiâ *Lanzhausen*, noualia apud *Pitengog*, *Hausen*, *Vrsinge*, Curtem *Keschingen*, curtem *Egoueil*, prædium *Schampach*, *Prugk*, vineas & alia prædia apud *Boizen*, *Altum*, culta & inculta, *Buldin* cum suis appendicijs, *Phanes* Ecclesiam cum suis appendicijs, *Namsè* cum suis conuallibus, prædium *Laens*, curtem *Seuers*, prædium *Valnit*, *Nauanz* cum suis montibus, prædium *Inbinant*, Ecclesiam *Tollingen* inferiori, Ecclesiam *Alingestorff*, Ecclesiam *Puch*, Ecclesiam *Pereha*, prædium *Wintpossing*, *Holzeperg*, *Pulach*, Ecclesiam *Sandolteshausen*, & molendinum, prædium *Hartlanten*, prædium *Steinstorf*, theloneum apud *Tridentum* & apud *Rinam* à Domino *Eberhardo* quondam *Tridentinensi* Episcopo ad petitionem chori per manus *Berchtoldi* aduocati vobis concessio, prædium *Zallingen*, prædium *Studa*, prædium *Puchenhofen*, prædium *Vmelstorf*, prædium *Hæzkofen*, prædium *Vlrici Rusfi*. Nulli quoque liceat monasterio vestro angarias vel alias exactiones monasticæ quieti & religioni contrarias imponere.

Sabionem.  
Mechtfridestorf.

Sanè cum in monasterio vestro Aduocatus fuerit instituendus, Abbas cum fratribus consilio & auxilio *Babenbergensis* Episcopi, quem, vtiliorem præuideris

uiderit instituat aduocatum, officium ei pro remedio animæ suæ secundum tenorem & jus foundationis ei committens, non beneficium concedens: ita quod idem officium ad nullum mortaliū hereditario iure descendat. Si vero institutus ad molestas exactiones gratia questus faciendas declinauerit, aut monasterio inutilis, & fratribus grauis extiterit, annitentibus Episcopo *Babenbergenſi* ratione fundi, & Episcopo *Ratisponenſi* ratione Diocesis, ex apostolicæ sedis auctoritate remoueat, & alius loco eius utilis præficiatur. Chrisma uero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi a Diocesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & ea gratis & absque ulla prauitate uobis uoluerit exhibere. Alioquin uobis liceat, quem malueritis adire Antistitem, qui nostra auctus auctoritate quod postulatis indulgeat. In parochialibus uero Ecclesiis quas tenetis, liceat uobis sacerdotes eligere, & Episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, Episcopus animarum curam committet, ut de plebis quidem cura Episcopo, uobis autem de temporalibus debeant respondere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum uestrorum, post factam in loco uestro professionem, sine licentia Abbatis sui fas sit de clauſtro discedere; discedentem uero absque huiusmodi literarum cautione, nisi obtentu maioris religionis nullus audeat retinere. Sanè noualium uestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium, nullus a uobis decimas præsumat exigere. Obeunte uero te nunc eiusdem loci Abbate, uel tuorum quolibet successorū, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu uolentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, uel fratrum pars consilij sanioris, secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam prouiderint eligendum. Sepulcrum quoque eiusdem loci liberam esse decernimus, ut eorum deuotioni & extremæ uoluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati uel interdicti fuerint, nullus obſiſtat, salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus etiam ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt; uſibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolicæ auctoritate, & Diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica seculariue persona hanc nostræ constitutionis paginam secens contra eam temerè uenire tentauerit, secundo tertioque commonita, nisi præsumptionē suam digna satisfactione & correctione correxerit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ uisioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum *Ferraria* per manus Gratiani S. R. E. Notarij, IV. Kal. Maij. Indict. X. Incarnationis Dominicæ anno M. CLXXVII. Pontificatus uero Domini Alexandri Papæ III. Año XVIII.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Fridericus* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Ratio suadet & iustitia exigit, ut ad protectionem Ecclesiarum Dei & defensionem, quæ per imperium nostrum longè lateque constitutæ sunt, gratiæ nostræ solatium extendamus. Maxime quidem ad illas, a quibus orationum suffragia die ac nocte percipimus. Per hoc

enim & temporalia nostra successu regentur prospero, & ipsius miserante de-  
 mentia qui dat salutem regibus, gloria & honore coronabimur in cælo. Ea pro-  
 pter cognoscant vniuersi fideles imperij nostri, præsentés & futuri, quod nos  
 intuitu diuinæ remunerationis & nostræ omniumque parentum nostrorum  
 salutis, dilectum nostrum *Henricum* Abbatem *Biburgensem*, totamque eius Ec-  
 clesiam, Monachos & fratres ibidem Deo seruientes, familiam & omnia bo-  
 na, prædicto Monasterio iuste pertinentia, siue à fundatoribus aut alijs fide-  
 libus tradita, seu fratrum labore & industria rationabiliter conquisita, quæ vel  
 nunc habet, vel in posterum Deo largiente poterit adipisci, hæc omnia fouenda,  
 protegenda, & contra omnem impetum iniuriæ, violentiæ, iniustitiæ manu-  
 tenenda, sub imperialis tutelæ brachio libere & integrè recipimus. Specialiter  
 autem & ex nomine prædium ministerialis nostri *Ortolfi* de *Triersbouen*, quod  
 nos ad petitionem eius eidem Monasterio propria manu delegauimus, & ea  
 quæ à dilecto nostro nobili viro fratre *Wolffhero* in motanis sunt eidem Ecclesiæ  
 congregata, & contradicta, scilicet: apud *Phanes*, apud *Botzen*, & super *Aldinum*  
 & *Gubdum* cum suis pertinentijs, & *Scheneues* ac *Nauisse* ac *Nabance*. *Valnitte*, *Len-  
 nes*. Liberum etiam transitum per *elufas* sine omni exactionû grauiamine apud  
*Seuens* & apud *Habionem*. Insuper quod fratres eiusdem monasterij theloneum  
 præsentare non debent apud *Tridentum*, nec apud *Kinam*, quæ libertas eis tra-  
 dita est à venerabili Tridentinensis Ecclesiæ Episcopo *Eberhardo*, & ab eiusdem  
 loci aduocato Comite *Geuoldo* de *Tyrol*. Præterea quod iidem fratres decimas de  
 bonis, quæ habent vel habituri sunt infra Episcopatum *Brixinensem*, soluere non  
 tenentur ex concessione & munere *Hartmanni Brixinensis* Episcopi, eiusque suc-  
 cessorum. Insuper possessiones eiusdem monasterij *Raprehtisdorff*, *Adelungesdorff*  
 Ecclesiam & eius attinentias, *Ozenpach*, *Terrinpach*, *Matrichesdorff*, *Berchabe*, cum  
 Ecclesia & toto vsu illius villæ, *Eichabe*, *Vrtebach*, *Wiggenbach*, *Buche*, *Bruggeberg*,  
*Wihse* Ecclesiam cum toto prædij illius vsu, *Aichkirchen* & eius pertinentias, *Tol-  
 lingen* cum Ecclesia & cæteris vsibus, *Mura*, *Griespach* cum Ecclesia & toto vsu  
*Mortinbouen*, *Husen*. Noualia apud *Bittingen*, *Luntisufen*, *Egarvibre*, *Kesgingen*, *In-  
 ebuint*, *Labesingen*, *Ergesingen*, *Siggelingen*, *Harlandt*, *Linden*, *Lindtkirchen* Ecclesia,  
 & Curtem *Golzenberge*, *Gutrinbusen*, *Brugge*, *Windposingin*, *Steinesdorff*, *Schampach*,  
*Adelhardesgadine*, *Studabe*, *Vmbilsdorff*, *Halle* *Bauariæ*, *Vrsingen*. Ea igitur quæ Ec-  
 clesia in *Biburg* in prætaxatis locis & alijs similiter legitime possidet, & quæcû-  
 q; ei pertinent in terris, agris, vineis, aquis, aquarumque decursibus, siluis, pra-  
 tis, pascuis, locis cultis & incultis, nos eidem Monasterio nostra imperia-  
 li auctoritate confirmamus, & in omni quiete deinceps possidenda et tenenda  
 stabilimus, indulgemus, & donamus, cum cæteris quoque omnibus, quæ in fu-  
 turum ad eiusdem Ecclesiæ emolumentum licite fuerint contracta. Præci-  
 pientes ergo firmissimè statuimus, vt nemo sit qui in his prædictæ Ecclesiæ Ab-  
 batè & fratres exterreat: nullus qui inde quidquam vsurpare aut distrahere te-  
 merè audeat. Nec homines eidem Ecclesiæ spectantes in personis vnquam aut re-  
 bus, vlla violentia perturbare præsumat. Statuimus præterea huius imperialis  
 edicti vigore, vt Abbas præfati monasterij cû fratribus suis consilio & auxilio *Ba-  
 benbergensis* Episcopi Aduocatum sibi quem vtiliorem prouiderint, secundû te-  
 norè, & ius foundationis instituant, officium solummodo ei pro remedio animæ  
 ipsius commendantes, non beneficium concedentes, ita vt hoc officium ad nul-  
 lum mortaliū hæreditario iure descendat, qui si postmodum ad molestias ex-  
 actionum gratia quæstus deuiauerit, aut monasterio inutilis extiterit, & fratri-  
 bus eorumque hominibus grauis apparuerit: is profecto per nostram auctoritatè  
 à suscepta fundi ratione amoueat, & auitente *Babenbergensi* Episcopo alijs

f. Bertoldo.

f. Verrin-  
pach.

vt ilior eidem officio ex Abbatis & fratrum deliberatione praeficiatur. Præterea propria nostræ largitionis dona contradimus eidem monasterio siluam vbi liberè nobis attinet, illam scilicet, quæ sita est ex ytraque parte \* *Isaræ*, ab exitu e-<sup>\* fluij</sup> iusdem fluij, vsque ad locum qui dicitur *Oberembrugge*, quicquid comprehensum est infra decursum fluminis quod decurrit apud *Obernhouen* descendens in *Isaram*. Insuper concedimus eidem Ecclesiæ jus nostrum de fodiendo ære, si quidem in ipsius Ecclesiæ terminis aliqua metalli vena reperiatur. Si quis autem huic nostræ confirmationi, donationi, institutioni contraire vel obloqui habeat a possessionibus Ecclesiæ *Biburgensis* manus tamdiu contineat, donec in præsentia nostra, vel iudicum, in quorum potestate bona sita sunt, de quibus habetur controuersia ea de quibus lis est, juris ratione obineat vel amittat.

Præterea hanc institutionem nostram per omnia, quæ præsentis Priuilegio inscripta sunt, sigilli nostri impressione confirmamus, & posteris nostris Regibus & Imperatoribus inuiolabiliter conseruanda destinamus: decernentes vt quicumq; Aduocatus vel alia quælibet persona contra paginam nostram hanc venire præsumperit, Centum libras auri purissimi componat, dimidiam partem Camera nostræ, & dimidiam præfata *Biburgensi* Ecclesiæ. Nomina quoque testium pauca de multis, qui in donatione huius Priuilegij aderant placuit annotari. *Christianus Moguntinus Archiepiscopus. Philippus Coloniensis Archiepiscopus. Wigmannus Magdeburgensis Archiepiscopus. Arnoldus Treuerensis Archiepiscopus. Hartvicus Augustensis Episcopus. Hermannus Babenbergensis Episcopus. Adilo Hildesheimensis Episcopus. Florentinus Comes Hollandiæ, Diethericus Marchio de Lusitz, & frater suus Comes Tero, Henricus Comes de Diecha, Otto Maior Præpositus in Babenberg, Eberhardus Præpositus S. Iacobi, Burckhardus Præpositus de Tirrfatt, Berchtoldus Comes de Tyrol, Henricus Comes de Eppan, Albo de Burgus, Hugo de Tucers, Eberhardus de Kiffenberg, & frater suus Regnaldus, Hademar de Ahufn, & alij quam plures.*

Ego *Gotefridus* Cancellarius vice *Philippi Coloniensis Archiepiscopi*, & *Italiæ Archicantellarij* recognoui.

Acta sunt hæc anno Dominice Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo septimo Indictione decima, regnante Domino *Friderico Romanorum Imperatore gloriosissimo*, anno regni eius vicesimo sexto, Imperij autem vicesimo tertio, in Dei nomine feliciter, Amen. Datum apud *Cellam S. Iacobi* in *Volanain* Archiepiscopatu *Rauennati*, Prid. Kalend. Iunij mensis.

*Non præteriri hoc loco debent silentio, ea quæ R. d. P. Gretserus, in doctissimis suis notationibus ad vitam S. Ottonis Episcopi Bambergens. pag. 400. habet.*

Non abs re fore censui, si quæ in M. S. Catalogo *Abbatum Biburgensium Auentinus* scripsit; hoc loco commemorarem: nam & ad *S. Ottonem* nostrum aliquatenus spectant. Ita ergo ille.

Anno à nato Christo Millesimo centesimo, quarto atque vicesimo. *Vlricus & Gebhardus*, maiores natu, fratres germani, filij *Heinrici de Piburgio & Berthæ ex Histris*, paternam diuiserunt hereditatem. *Henricus & Gebhardus* sortiti sunt *Hilpolestainan*. *Chunradus* autem, *Erbo* atque *Bertha Piburgium*. Alij duo fratres horum, *Eberhardus & Meginuardus*, sacris initiati, Ecclesiasticique erant. Ille, *Canonicus Babobergensis*, atque deinde monachus *Priifelingensis*. Hic *Veteris Capelle Ratisponens. Præpositus*. Quatuor alij filij, *Otto, Magnus, Albertus, Hezelo* siue *Henricus*, ante parentes ex hac vitâ migrarunt. Nam *Heinricus* ille superior vndecim liberos ex *Bertha* vxore sua progenuit, decem mares, vnam faminam *Bertham*.

Proximo deinceps anno, id est, Anno Christi Seruatoris nostri MCXXV. *Chunradus, Erbo & Bertha* consilio & auxilio *S. Ottonis Episcopi Babobergensis*

de Patrimonio suo Benedictinis viris atque feminis Coenobium: Item pauperibus atque egenis domum (quod Hospitale vocant) ædificare cœperunt, & octavo anno compleuerunt, hoc est anno salutis Millesimo centesimo tricesimo tertio. Quo etiam anno in die Simonis & Iudæ, diuus Otto Babobergensis Episcopus, & Henricus Comes de *Wolfratshausen*, cognatus *Bertha* vxoris *Heinrici* superioris, Pontifex *Ratisbonensis* templum consecrarunt. *Eberhardus* Monachus eo tempore *Brufelingsis* fit Abbas: Frater eius *Thicus* de *Stain*, aduocatus: qui etiam *Percham* dono dedit Monasterio.

Innocentius secundus Pontifex maximus comprobauit, atque diplomate suo firmavit.

Diuus *Eberhardus* primus Abbas, natus patre *Henrico* matre *Bertha* Baboberge literis eruditus est, ibiq; Canonicus factus. Deinde cum Præceptore in Vrbe *Paristorum* missus, Philosophiæ operam dedit. Reuersus à studio *Balobergam*, ad Monasterium S. *Michaelis* clamauit, monachumque se profiteri cœpit. A diuo OTTONE Episcopo Babobergensi ad *Prufelingam* transfertur, quod templum idem OTTO condidit. Vbi sanctus *Eberhardus* degit vsque ad consecrationem *Piburgensis* Monasterij à fratribus suis constructi: Præsuitq; Coenobio annos tredecim, menses quinque, dies decem. Nam *Chunrado* primo Archiepiscopo *Salzburgensi* de *Abensberg* oriundo cognato & vicino suo in Pontificatu successit.

Electusq; est anno Christi Millesimo, centesimo, quadragesimo septimo, quo anno, eius iussu *Eberhardus* & *Henricus* scripserunt Bibliam, Origenisque Homilias. Item alios libros, qui adhuc extant *Piburgij* & monstrantur. Præsedit *Salzburgensi* Ecclesiæ annos decem & septem, menses vndecim, dies decem. Obijt anno Christianæ salutis millesimo, centesimo, sexagesimo tertio, decimo Kalendas Iulij.

Humatus est *Salzburgij* in maximo templo, vbi adhuc religiose colitur, & populus frequens ad eius Sepulchrum concurret.

*Chunradus* Primus à sancto *Eberhardo* institutus administravit *Piburgense* Monasterium annos sex, menses totidem. Ex hac vita migravit anno Christi millesimo, centesimo, quinquagesimo tertio, decimo Kalend. Nouembris, in die *Seueri* Episcopi. Extat adhuc eius sacramentum, quod Religioni sub diuo *Eberhardo* dedit. Sub eo *Bertha*, quæ cum fratribus *Chunrado* & *Erbone* *Piburgij* arcem in templum commutauit, excessit ex hac vita anno Christi millesimo, centesimo, quinquagesimo primo, octauo Idus Augusti, in die *Sixti*.

Contra hunc *Conradum* secundum *Biburgensis* Monasterij Abbatem, tam fæua tempestas, quorundam improbitate exstitit, vt ad eam sedandam, ipse *Adrianus* IV. Pontifex Romanus; itemque Episcopi *Ratisbonensis* & *Bambergensis* accurrere debuerint; vt intelliges ex quinque sequentibus Epistolis, quas reperi in manu scripto quodam Codice, quem Viennâ ad me misit vir clarissimus, & in omni studiorum genere eruditissimus Dominus SEBASTIANVS TENGNAGEL I. V. D. Cæsareæ Bibliothecæ Præfectus.

Littera commendatitiæ ab Episcopo *Ratisbonensi*

*Conrado Abbati* datæ.

Orthodoxis omnibus IC. Dei gratia, Ecclesiæ *Ratisbonensis* Episcopus, quidquid, hic & in futuro felicius, pateat vniuersitati vestræ qualiter venerandus & amandus filius noster *Conradus* *Biburgensis* Monasterij quondam Abbas, presentium lator, turbatæ quieti & suæ & fratrum suorum humiliter & benigne cōsuluit: quidam enim ex fratribus suis amaro Zelo inflammati, bonæ opinionioni ipsius, primò intus & latenter; deinde etiam foris & patenter detrahere cœperunt.

runt. Cui scandalo reprimendo tum à Domino EBERHARDO *Salzburgerſe* Archiepiſcopo, & EBERHARDO *Bambergenſis* Epifcopo, tum etiam à nobis & noſtris, ſæpè diu & multum fruſtra, quia nimis leniter laboratum eſt. Tandè magnis noſtra Eccleſiæ negotijs occupati, dilectiſſimo & venerabili fratri, & coepifcopo noſtro *Bambergenſis*, & Prælatiſ noſtris, vicem noſtram in hac re con- ceſſimus, qui ad prædictum Monafterium venientes, omnia prudenti, & fideli diſcuſſione ventilare cœperunt. Sed fortè propter noſtram abſentiam, ferro abſciſſionis, in pertinaces & publicè culpam ſuam conſeſſos minus vſi ſunt. Ita ad ciuitatem noſtram Dominus Epifcopus & Abbas reſgreſſi, ſex de parte deten- torum cum aſſenſu reliquorum ad principalem Eccleſiam noſtram adduxerūt, vbi nec bono Zelo, nec vera, de Abbate ſuo immerente ſe iactaſſe, publicè con- feſſi ſunt. Tunc Dominus Abbas pœnitentiæ quorundam minus confidens, & non dignitati, ſed quieti & ſaluti ſuæ intendens, quia ſuſpecti & morbidi abſciſſi non ſunt, Abbatiam vltro reſignauit. Quod factum pro reuerentia Domini *Bambergenſis*, & amore Abbatum, non tamen ſine ſcrupulo ſuſcepimus, & ipſam ab obedientia noſtra non abſoluentes vniuerſitati veſtræ, tanquam prudentem & fidelem virum commendamus.

*Literæ Commendatiuæ datæ Conrado Abbati ab Eberhardo*

*Epifcopo Bambergenſi.*

Omnibus in regno caritatis, EBERHARDVS *Bambergenſis* non ſuis me- ritis vocatus Epifcopus ſalutem, & eam quæ maior eſt omnib., & quæ nun- quam excidet, charitatem. Domino dicente, væ ei per quem ſcandalum venit, cum inter fratres ante omnia ſcandala vitanda ſint, nolumus quemquam ſcan- dalizari, in perſona venerabilis & dilecti fratris noſtri *Conradi* quondam *Bibur- genſis* Abbatum, cuiuſq; ſeparatione à fratribus ſuis. Equidem arbor ipſe bona illiq; terra bona tanta diſſimilitudine, & ea quæ alia natura eſt morum conſuetudine diſcrepant vt fruſtuofè, & vnius moris in domo Dei cohabitare non poſſent. Vnde naſcente & crescente de die in diem inter eos diſcordia, cum ſoleat anti- quus hoſtis, quorum vitam non poteſt, ſaltem famam lædere, prædictus frater omni non ſolum infamia ſed etiam ſuſpitionis macula abolita, communi & pu- blica fratrum ſuorum adteſtatione, ſpecialiter verò quorundam, qui in eo ſcan- dalitati fuerant, recognitione, in noſtra ex chori *Ratisbonenſis* præſentia, ad ſe- dandam tempeſtuolaſ inter ſe & contra ſe fratrum diſcordiam libera voce cū Iona ait, Si tempeſtas hæc propter me eſt, tollite me, & mittite in mare, in eius nomine, qui venit non perdere animas ſed ſaluare. Ac ſic Abbas nobis & cho- ro, vice Domini *Ratisbonenſis* Epifcopi reſignata, fratres & ſorores præſentes & abſentes obedientia ſua abſoluit; Cuius rei teſtimonium perhibentes, præſen- tem ei cautionem porreximus & omnibus ad quos peruenit, ſicut prudentem, literatum & bonæ æſtimationis fratrem, in eo cuius hæc dona ſunt, attentius commendamus.

*Literæ commendatiuæ datæ Conrado Abbati à Capitulo Cathedralis*

*Eccleſiæ Ratisbonenſis.*

Vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ ordinibus & dignitatibus, chorus *S. Petri Ratisbo- nenſis* perpetuam in Domino ſalutem & pacem.

Notum vniuerſitati veſtræ facimus, de præſentium latore Domino *Conra- do Biburgenſe* quondam Abbate, qualiter multas ſæpè aduers' ſemetipſum con- tradictiones ſubicctorum & rebelliones pertulerit, ſed omni tempore, quo con- verſatus apud nos eſt, depræhendi ad infamiam, vel deſiſtionem nunquam potuerit: quod Epifcopus *Bambergenſis* adueniens, hinc inde auditis partibus

animaduertit profectò, & ipsi fratres ad eò intelligere coeperunt, vt pacis compositionem amplectentes, vniuersi tunc in monasterio publice & priuatim; post aliquanti excepti in Ecclesia nostra *Ratisbonensi* confiteri malas \* valetudines suas at non ipsius culpam consentirent; proteitantes multo magis se ex odio & subuersione animi, quàm conscientia recta & veritate, honorabilis personæ famam lacerasse. Tunc demum, vir emeritus, cedere, Abbatiam sponte resignando, non distulit. Talem exitum spectati viri, oculis nostris aspicientes, scribimus vniuersis Ecclesiis Dei, dignam, laude, honore, dignitate conuersionem eius & scientiam prædicantes.

\* affectio-  
nes

*Diploma Adriani IV. Pontificis, quo Conradum Abbatem in pristinum dignitatis locum restituit.*

**A**drianus Episcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Eberhardo *Salisburgensi* Archiepiscopo, & *Ratisbonensi* Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster *Conradus* Abbas Monasterij S. *Mariæ de Biburch*, sicut ex tua Fraternitate *Ratisponensis* Episcopi, & Canonorum tuorum, & Fratris nostri *Bambergensis* Episcopi attestacione atque aliorum plurium religiosorum, virorum asseruone cognouimus, quorundam iniquorum fratrum malitia & vexatione compulsus à monasterio suo discessit, & Apostolicæ sedis præsentiam visitauit: qui dum transfretare disponderet, & Hierosolymam pergere, vt ibidem in aliquo loco religioso ad Dei seruitium, & ad saluandam animam perpetuo moraretur, nos eum à suæ mentis intentione retraximus, & ipsum ad proprium monasterium remisimus, vt fratrum curâ sicut hæcenus, ita de cætero habeat, & in Abbacia plenariè debeat ministrare.

Eum itaque fraternitati vestræ attentius commendantes, per apostolicam vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsum infra XX. dies post hanc susceptionem in plenitudinem Abbatiæ, auctoritate nostra, omni occasione ac dilacione postposita, restituatis, fratribusque eiusdem monasterij firmiter iniungentes, vt eum honestè recipiant, benignè tractent, & ipsi, tamquàm proprio Abbati, & animarum suarum rectori debitam in omnibus reuerentiam & subiectionem impendant. Si verò aliquis interim in eadem Abbacia fuerit subrogatus, eum sine contradictionis obstaculo penitus amoueri curetis: Duos etiam eiusdem Ecclesiæ monachos \* *Vdo*: videlicet & \* *Walch*: & duos Conuersos scilicet \* *Euch*: & \* *Vdal*, quibus infestantibus & multipliciter perturbantibus prædictus filius noster *Conradus* Abbas commissæ sibi Abbatiæ regimen se asserit dimisisse, ab ipso monasterio remoueat, & eos in obedientiis monasterij extra monasterium tamen, auctoritate nostra ponatis. Qui tam diu compellantur in ipsis obedientiis permanere, quo vsque à sua malitia recedentes, correcti & emendati à memorato Abbate ad proprium monasterium reuocentur. Data *Laterani*, XV. Kal. Maij.

\* Vdonem  
\* Waltherum  
\* Eucherium forte  
vel Eucherium  
\* Vdalricum

*Littere Adriani Pontificis ad Conuentum Biburgensem.*

**A**drianus Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis monachis & Conuersis *Mariæ de Biburch*, salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster *Conradus* Abbas vester, sicut ex relatione sua, & plurium religiosorum virorum attestacione cognouimus, quorundam iniquorum fratrum malitia & vexatione compulsus, à Monasterio vestro discessit, & apostolicæ sedis præsentiam visitauit. Qui dum transfretare disponderet, & Hierosolymam pergere, vt ibidem in aliquo loco religioso ad Dei seruitium, & ad saluandam animam perpetuo moraretur, nos eum à suæ mentis intentione retraximus,

ximus,

imus, & ipsum ad proprium monasterium remisimus vestrarum curam, sicut hactenus, ita de cetero habeat, & in Abbacia debeat plenarie ministrare.

Eum itaque vniuersitati vestrae attentius commendantes per Apostolica scripta vobis precipiendo mandamus, quatenus eum honeste recipiatis, benigne tractetis, ipsi tanquam proprio Abbati, & animarum vestrarum Rectori debitam in omnibus subiectionem & obedientiam impendatis. In nullo quoque eidem rebelles, in nullo contumaces existere praesumatis. Quod si forte contempseritis adimplere sententiam, quam ipse in aliquem vestrum, qui contempserit extiterit, propter hoc canonicè promulgauerit, à nobis ratam noueritis ac firmam habendam.

Duos autem monasterij vestri monachos, *Vd.* videlicet & *Gualth.* & duos conuersos, scilicet *Vd.* & *Euch.* quibus infestantibus & multipliciter perturbantibus praedictus filius noster *Conradus* Abbas comissa sibi Abbacia regimen se auferit dimisisse, per fratres nostros *Salzburgensem* Archiepiscopum, & *Ratisbonensem* Episcopum ab ipso monasterio praecipimus amoueri, & eos tamdiu in obedientijs monasterij extra monasterium decernimus permanere, quo usque à sua malitia recedentes correcti, & emendati à memorato Abbate ad proprium monasterium reuocentur. Data Laterani, XV. Kal. Maij.

Hactenus litera in causa *Conradi* Abbatis *Biburgensis*. Ille autem Episcopus *Ratisbonensis* litera H. designatus, aut est *Henricus* hoc nomine primus, Comes *Wolfrasthausen*, aut successor eius *Hartvicus*, qui Episcopatum in ipe eo ipso anno, quo *Henricus* excessit, nempe M. C. L. V. Illud certum, errare Auentinum, quando *Conradum* Abbatem obiisse dicit, anno M. C. L. III. Cum enim pro *Conrado* Abbate Romana profecto *Adrianus* Papa IV. ad supra dictos Episcopos, & ad *Biburgensem* Conuentum rescripserit, *Adrianus* autem Anno demum 1155. Pontificatus adeptus sit, fieri non potest, ut *Conradus*, Anno, quem Auentinus notat, in fata concesserit.

### CATALOGVS ABBATVM PIBVRGENSIVM EX tabula Ioan. Auentini sua manuscripta.

**D**IUS EBERHARDVS primus Abbas, nat' patre *Heinrico*, matre *Bertha*, *Baboberga* literis traditus est, ibiq; Canonicus factus: deinde cum Praeceptore in urbem Parisiorum missus Philosophiae operam dedit. Reuersus à studio *Babobergam* ad Monasterium S. Michaelis clam iuit, monachumq; se profiteri coepit. A Diuo *Otrone* Episcopo *Babobergensis* ad *Prifelingam* transfertur, quod Templum idem *Otro* condidit. Vbi S. *Eberhardus* degit vsque ad consecrationem *Piburgensis* Monasterij à fratribus suis constructi: Praesuitq; Coenobio annos tredecim, menses quinque, dies decem. Nam *Chunrado* primo Archiepiscopo *Salzburgensi* de *Abensperg* oriundo, cognato & vicino suo in Pontificatu successit.

Electusq; est anno Christi Millelimo, centesimo, quadragesimo septimo, quo anno, eius iussu *Eberhardus* & *Heinricus* scripserunt Bibliam, Origenis & que Homilias. Item alios libros, qui adhuc extant *Piburgij* & monstrantur. Praesedit *Salzburgensi* Ecclesiae annos decem & septem, menses vnde decem, dies decem. Obijt anno Christianae salutis millelimo, centesimo, sexagesimo tertio, decimo Kalend. Iulij. Humatus est *Salzburgij* in maximo templo, vbi adhuc religiose colitur, & populus frequens ad eius sepulchrum concurrat.

**CHVNRAVS** primus à Sancto *Eberhardo* institutus administravit *Piburgense* Monasterium annos sex, menses totidem. Ex hac vita migravit anno Christi millelimo, centesimo, quinquagesimo tertio, decimo Kalend. Nouembris, in die *Seueri* Episcopi. Extat adhuc eius sacramentum, quod Religioni sub Diuo



- Diuo Eberhardo dedit. Sub eo *Bertha*, quæ cum fratribus *Chunrado* & *Erbone Piburgium* arcem in templum commutauit, excessit ex hac vita Anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo, octauo Idus Augusti, in die *Sixti*.
- III. HENRICVS primus rexit annos quindecim. Obiit anno Christi Millesimo centesimo sexagesimo octauo. Iussu eius anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo tertio *Bertoldus* & *Duringus* scripserunt Augustinum de Trinitate, & alios libros, *Erbo* quoque & fratres eius *Chunradus* & *Vlricus* de *Stain* obierunt sub eodem tempore octauo Kalend. Martij, *Cathedra Petri*.
- IV. ALBERO fuit Abbas septem annis. Obiit anno Christi millesimo centesimo septuagesimo quinto.
- V. HENRICVS quintus abbas, impetrauit ab Imperatore *Fridrico* primo priuilegia. *Burckardus* de *Stain* fuit tum Aduocatus. Præfuit annis quatuor. Obiit anno Christi MCLXXIX. Hisce temporibus *Vlricus* archidiaconus *Aquileiensis* de *Stain*, oriundus, tradit *Piburgensi* monasterio opera Augustini, tum commentaria in Prophetas atque Epistolas Pauli, in membranis antiquis literis scripta, quæ scripsit Eques *Torquatus*, siue ut tunc vocabant, miles, cum hoc adiecto disticho.
- Me miles scripsit, cauteque locare rogauit,  
Ne cum plebea scriptura ponar in area.
- VI. IOANNES primus impetrauit à *Luipoldo* Duce *Austriæ* decimas in *Tangrintt*, quæ fuerant *Henrici* ultimi Comitis de *Retnburg*, qui fuit filius *Berthæ* filie sancti *Luipoldi* aui huius Ducis *Luipoldi*. Præfuit annos undecim. Obiit anno Christi millesimo centesimo nonagesimo quinto. Kal. Iunij.
- VII. THEODORICVS rexit annos nouem, menses duos. Obiit anno Christi millesimo centesimo nonagesimo nono, decimo Kal. Augusti.
- VIII. POPPO gubernauit *Piburgense* cœnobium annos sex, minus duobus mensibus, obiit anno Christi M. CC. V. Kal. Iunij.
- IX. NANZO habuit litem cum *Chunrado* Comite de *Frontenhausen* Episcopo *Ratisbonensi* pro iure patronatus in *Sandoltzhausen*. Vicique sententia Iudicum. Sedit annos viginti duos, dies decem. Obiit anno salutis millesimo ducentesimo vicefimo septimo, pridie Idus Iunij.
- X. BERTOLDVS decimus abbas, fuit in dignitate annos quinque; sub eo combustum est monasterium Anno Christi MCCXXVIII. prid. Non. Maj, in die *Ioannis* ante portam latinam: & duo pueri scholares, *Chunradus* & *Rudiger*. Mortuus est à natò Christo Anno Millesimo ducentesimo tricesimo secundo.
- XI. HENRICVS secundus octo gubernauit annos, obiitque anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo, pridie nonas Iulij.
- XII. ALBERTVS primus rexit annis sex minus quatuor diebus. Obiit anno Christi M. CC. XLVI. decimo Kal. Iulij, in die *Achatij*.
- XIII. CHVNRADVS secundus rexit annos septem. Migrauit ex hac vita anno ab orbe seruatò M. CC. LIII.
- XIV. RVDOLPHVS impetrauit *Vmelstorff* à *Conrado* de *Tolnse Frisingensi* Episcopo. *Albertus* de *Pittngerrv* Episcopus *Ratisbonensis Sandoltzhausen* quoque confirmauit. Præfuit annos quinque: obiitque anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo.
- XV. VLRICVS primus rexit annos tredecim. Ob soluendas Romanæ sedi pensiones aliqua prædia oppignorare coactus est. Obiit anno Christi 1271.
- XVI. HENRICVS tertius, fuit abbas an. trib. mens. septem, dieb. quatuor. Erratum, bellum inter Duces *Bauariæ Ludouicum* & *Henricum* fratres, qui obitulum

calum discordabant. *Pickenbach* tum exustum est, Abbas coactus est vendere p̄siones pecuniarias. Obijt anno Christi 1275.

HENRICVS quartus præfuit annos tres, Menses duos. Tum monasterium *Piburgense* ad summam inopiam redactum est, ob sumptus quos dare coactus est Abbas *Leoni* Episcopo *Ratisbonensi*, ad Concilium *Gregorij* Papæ decimi. Item propter decimas omnium rerum sub p̄na excommunicationis ad expeditionem in terrâ sanctam. Nam vt idem Abbas *Henricus* conqueritur, tum P̄p̄alis decima in concilio *Lugdunensi* constituta clerum vexauit vniuersum. Hanc ob rem multa vendere coactus est. Obijt anno Christi 1278.

FRIDERICVS primus rexit annos sedecim. Sub eo anno primo (is est Christi 1278. Idib. Maij, 3. die post *Gangolst*) combustum est monasterium monialium, & domus Camerae. Obijt anno Christi 1294. Nono Kal. Octob. in die *Ruperti*.

LVDOVICVS rexit annos nouem, mensem vnum, dies 14. Pestilentia pecoris tunc grauiter afflixit *Piburgium*. Obijt anno Christi 1303. 9. Idus Nouembris.

ALBERTVS secundus rexit annis 7. Mensē 1. Obijt anno Christi 1310. Primus Abbas, qui monumentum habet proprium in sacello Diui *Iohannis*.

VLRICVS secundus præfuit an. 7. mortuus est anno Christi. 1317.

OTO Cholner rexit annos 18. Obijt anno seruatoris nostri 1335. VII. Kal. septemb.

CHVNRAVS secundus de *Peffenhausen* rexit annis 17. men. 4. Obijt natalibus Christi anno Christi 1352. secundus Abbas qui proprium monumentum habet.

HENRICVS quintus *Eystater* præfuit annos 18. Mens. 2. Ob. an. Christi 1371. 7. Kal. Martij; in vigilia *Matthie*. Hic lapidem magnum posuit super ostiâ Abbatum extra templum ad Orientem, vbi 24. Abbates conditi sunt, vti fama quoq; adhuc existit.

SEIFRIDVS *Pruckar* rexit annos 23. Menses 5. dies 10. Obijt anno Christi 1394. 4. Idus Augusti, in die *Laurentij*, imperiales eo tempore vrbes deuastarunt *Bauariam*. In octaua die *Agnetis Sigoburgij* castra metati sunt.

HAIDENRICVS *Szarzhauser* bene rexit & sapienter annis 13. septimanis 5. oblepram amotus est. Obijt anno salutis 1407. Martini. Tertius Abbas, qui proprium monumentum habet.

HARTVICVS *Teyshofer* consiliarius fuit Ducis *Ernesti* proauis hostterum Principum, mutuo accepit vndiq; pecuniam à Iudæis, ciuibus, monac'nis mendicantibus, numero 800. ferme aureos, Villas vendidit, oppigneravit. Cū rexisset annis 19. depositus est, & successit.

PETRVS. Hoc post septimum Mensem vita defuncto iterum *Hartvicus* eligitur. Administravitq; denuo contubernium *Piburgense* 8. annis. Fuit in dignitate itaque annos 27. Menses 6. dies 5. Obijt anno Christi 1435. 14. Kal. Iulij, in vigilia *Gervasij* Humatus est ante Ostium templi ad occidentem. Fuit sub eodem inundatio iu die *Kiliani* anno Domini 1413. Vt aquæ vsque ad arcem ascenderent, Concilium cum *Constantiensi* celebratum. Et vaga gens quæ *Zygeuner* vocatur, primò *Sigoburgium* venit.

PETRVS *Urban* rexit duntaxat septem Menses, à die *Gangolst* vsque ad festum *Luciæ*. Obijt anno Christi 1426.

MARTINVS præfuit annos 15. m. 2. d. 12. ob. an. C. 1450. 3. Kal. sept. FRIDE-

- XXX. FRIDERICVS II. *Starzhauser*, tricesimus Abbas, primus infulatus à *Calisto* Papa 3. an. C. 1452. rexit annos 23. Mens. 8. ob. an. Christi 1474. 3. Non. Maij, in die *S. Gotthardi*.
- XXXI. LEONARDVS rexit 6. annos. negligens fuit, vinoque deditus. Obijt anno salutis 1480. 7. Kal. Iulij, altera die post *Vrbani*.
- XXXII. IOANNES secundus, cognomento *Machterstorfer*, diligens fuit, præfuit annos 12. Menses 8. dies 20. Obijt à nato Christo anno 1493. 16. Kal. Martij, in die *Valentini*.
- XXXIII. WOLFGANGVS *Peffenhauser*, præfuit annis 12. Obijt anno Christi 1505. *Purificationis*.
- XXXIV. IACOBVS alienigena, ob discordiam ex *Maria cella* translatus, imperitus fuit rei familiaris. Sexto anno, hoc est Christi 1511. amarus fuit.
- XXXV. LEONARDVS secundus, cognomine *Aichstetter*, antea Parochus, amoto *Iacobo* electus est, debita dissoluit, oppignerata redemit, Monasterium ruinam moritans instauravit restituitq;. Eius iussu hic libellus Anno Christi 1524. scriptus est, Mense Maio.

## CAESARE A, VVLGO KAYSCHAIM

Ordinis Cisterciensis.

KAYSERSHAIM, vulgò Kayshaim, Latinè Cæsarea, in Ducatu Neuburgensi & Comitatu Graisspaceñ, magnificum & opulentum Monasterium, Anno 1133. fundatum ab Heinrico, Com. de Lechsmund & Graisspach, & eius coniuge, Domina Loykarda, quæ ibi cum marito in eodem tumulo sepulta est, & à filij, Heinrico secundo & Wolgerado, &c. Auent. lib. 7. fol. 789. Qui de his Comitibus, ac de hoc Monasterio plura videre cupit, videat librum meum Genealogiarum Bauaricarum, ac Casparum Bruschi in centuria sua Monasteriorum Germania Quia ego neque diplomata, neque Annales illius Monasterij vidi, nolui ab alijs scripta cum tædio hic reperere.

SVNT autem ibi sepulti Nobiles, primò fundatores, Comites de Lechsmud & Graisspach, Com. Nysnenses, qui defunctis Greisspaceñ, successerunt in illo Comitatu, Comites Helfenstain. & Otingenses, Barones à Gundelfingen, Marschalci à Pappenhaim, in Hoehenreichen, Pincernæ à Geyrn, Rechenberg de Treuchling, die *Vetter mit der Eilgen*/de Wembding, & alij, &c.

## ADDITIONES.

## LITERÆ FVNDATIONIS.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis eiusdemque inseparabilis Vnitatis, *Waltherus* Dei gratia *Augustensis* Ecclesiæ Episcopus Catholicus. Decet nos honorem, quem gerimus nomine, moribus exhibere, colere, & obseruare iustitiam, qui suscepimus locum ad æquitatem proferendam, ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum, sed per virtutis exemplum, luceat gratia dignitatum. Ideoq; libenter omnimodis præbemus assensum, quotiens iusta est vox poscentium, nec à nobis difficile prodibit beneficium, quod non patitur largitate detrimentum. Eapropter notum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus Christi fidelibus, qualiter Comes *Heinricus* de *Lechsgemunde*, & vxor eius comitissa *Luicardis*, & filius eius *Volradus*, consensu